



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

tissimum. i. quod Judex habitationis domicilii jurisdictionem habeat in personā, etiam dum extra territorium, seu diœcesin moratur: cū enim absolutè subdita sit, & non secundum quid, non tollitur ei⁹ subjectio per egressum: Unde etiam absentem constringere potest *arg: cap. cum contingat. 13. de foro comp:* non quidem citatione reali, seu captura (hoc enim actu judiciali violaretur jurisdictio aliena) sed verbali: quippe quæ in proprio territorio decernitur, licet eius intimatio per nuntium foris fiat. Atq; hac ratione Clericus v. g. per præceptum ac sententiam Episcopi etiam extrà territorium præcipientis, propter contumaciam excommunicari potest. *Laym: lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 7.* Dico deinde, quod subditus ratione domicilii extra territorium delinquens (nisi à Judice delicti præventus fuerit) citari, puniri, imò ob contumaciam etiam absens excommunicari possit à Judice domicilii. ut benè *Ioan: And: & Imola in cap. 3. de foro comp. Vide Titulum 2. cap. 3. conclus: 4.*

5. An quasi domicilium vim aliquam conferat? *Rectè*, si enim habitatio transf-

feratur animo consistendi, negotii causa
 ad tempus non breve, sed ultra medium
 annum, forum sortiuntur, videlicet stu-
 diosi, famuli, milites, præsidarii, &c. ut
 interim dum ibi agunt conveniri possint
 super contractibus, & delictis etiam alibi
 commissis, per *Gl. in L. 2. C. ubi de criminibus*
Abb. in cap. Clericis. n. 5. & cap. cum con-
tingat n. 29. de foro comp. Quod & in pœni-
 tentiæ foro atque Sacramentorum (ex-
 cepto Ordinis) administratione locum
 habet. *Sanch. lib. 3. de Matr. disp. 23. n. 11*
 adeò ut talis persona si alibi domicilium
 saltem paternum fixum habeat, utriusque
 Parocho v. g. sua peccata confiteri possit
 Idemque procedit, & longe magis si qui
 pluribus in locis plenè instructus sit, ne-
 min⁹ in uno loco, quam in alio loco com-
 moretur, totidem locis domicilium ha-
 bere censetur. *L. 5. & 6. §. pen. L. 27. §. 1.*
ff. ad municip. tametsi Labeo existimet
 huiusmodi nusquam domicilium habere
 quod verum est in casu, quo quis domici-
 lio proprio relicto navigat, vel iter faci-
 quærens quo se conferat, aut ubi se con-
 stituat. *L. eius 47. Celsus in fin. ff. ad munic.*